

- Remus ab eodem fratre Romulo pene parili tumba premitur, illic consocius Petri Paulus crucis Christi signifer in domo sua ^{m)} ad honorem sui regis eiusdem Christi principaretur ⁿ⁾. Ad ^{o)} talium taliterque edificantium peregrinorum sortem pertinere non dubium est piam beatorum pontificum intentionem ^{p)} Brunonis atque Heriberti supra memoratorum ¹⁾, qui nescio quem nebulonem illius fortis armati satellitem, quales multos habet, de isto atrio sive particula ^{q)} atrii eius foras eiecerunt, alter castellum confringendo, alter monasterium hoc ad honorem fortioris, qui illum fortem vicit, edificando. Quid amplius habet homo civis celi et peregrinus super terram secundum professionem suam, nisi ut edificent, quoad potest, super fundamentum ²⁾ patrum sanctorum, qualium Abraham, Ysaac et Iacob principes sive notissimi extiterunt, qui nullam civitatem terrenam edificaverunt, sed supernam sive celestem inquisierunt? Forte dicis quia David *cępit arcem Syon*, et *hec est*, ait scriptura, *civitas David* ³⁾. Et de Ezechia scriptum est in laude patrum, quia ipse *munivit civitatem suam et induxit per medium eius aquam* ^{r 4)}. Ad hec responsio facilis patet, quia longe aliud est capere vel munire quam fundare vel edificare civitatem. Unde notandum quia ducibus Moyse et Iosue datum vel permissum est civitates muratas capere et in eis habitare, nusquam autem iussum fuit edificare, immo unam pro ^{s)} omnibus scilicet Iericho (sicut superius memoratum est) ⁵⁾ voluit Deus virtutis